

TRACTATUS,
DE PIGNORIBVS
ET HYPOTHECIS, ET
PRIVILEGIIS CREDITORVM, IN
QVIBVS EXPLICATVR, QVANDO DEBITOR NON
est soluendo, & eius bona veneunt, quomodo inter cre-
ditores locum habeat præferentia, vt alter
in ordine alteri præferatur;

CVI ADDITA EST BREVIS ET
DILVCIDA EXPLICATIO DE ANNVIS PENSI-
nibus, de Vsuris, de Interesse, Cessione bonorum, & nonnullis aliis
adeandem materiam pertinentibus;

LIBRI DVO.

AUTHORE

HERMANNO MEYRER IC. CONSVLE
EMBDANO.



FRANCOFVRTI
Ex Officina Chalcographica NICOLAI HOFFMANNI,
Sumptibus Ionæ Rhosæ.

ANNO M. DC. XI.



NOBILITATE GE-
NERIS, VIRTUTIS AC
PRVDENTIAE LAVDE VIRIS CLA-
RISSIMIS, DOMINIS CONSVLIBVS, ET SENA-
toribus inclytæ Ciuitatis Groninganae, nec non
eiusdem finitimæ prouinciæ Domi-
nis Gubernatoribus,
S. P.

NUllam Rempublicam sine ordina-
tione legum cōsistere posse, nemo est
ignarus, qui rerum humanarum
cursum atq; obseruantiam politici
ordinis cognoscit, cuius authorem
Deum altissimum esse ex sacris literis constat. Sunt
enim praecepta politica ordinationis: Honestè viue-
re, alterum nō ledere, cuiq; suum ius tribuere; q̃ ex
iustitia depēdet. Et Cicero scriptū reliquit, q̃ unicū
ius sit, quo deuincta tota humana societas censea-
tur; cuius iuris obseruantiam olim Imperatoribus
Romanis non fuisse ignotā, ex historiis manifestum
(:) 2 est,



HERMANNI MEY-
RERI IVRECONSULTI
CLARISSIMI,

Tractatus.

DE PIGNORIBVS ET HY-
POTHECIS.

TITVLVS PRIMVS.

De Pignore pratorio.

S Y M M A R I A.

- 1 Pignus à pugno dicitur & capitur loco securitatis.
- 2 Hypotheca Græca vox est & vulgariter Latine etiam dicitur hypotheca.
- 3 Pignus est quadruplex.
- 4 Prætores apud Romanos olim habebant magnam auctoritatem.
- 5 Ius prætorium etiam honorarium appellatur.
- 6 Cauere si quis de damno infecto noluerit mittitur metuens in possessionem non cauentis.
- 7 Ventris nomine si non cauetur missio in possessionem habet locum.
- 8 Pignus prætorium ex contumacia constituitur idque ante litis contestationem.
- 9 Contumacia pœna est vt aduersarius in possessionem mittatur.
- 10 Pignus vt prætorium constituatur apprehensio possessionis requiritur.
- 11 Reo in contumacia existenti missioni locus est.
- 12 Ad immisionem sufficit semiplena probatio vel iuramentum.
- 13 Immissio primum decretum prætoris appellatur.
- 14 Ad immisionem debiti requiritur summam probatio.